gratias aget, super his duobus punctis: quod hunc gradum in alia Universitate non reasumet et quòd et quemcunq; statum perveniet, bonum Universitatis pro posse promovebit, interrogante Bedello vel alio quocunq; in defectu Bedelli clara voce ju:rabit et suo juramento tanquam non illicito stare et illud semper in recenti memoria ser vare studebit. Non est enim tutum quem-libet contra juramentum suum venire, ni:si tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ. c. Si vero de Jure jurand.

STATUTUM XXXIX.

De Diplomate seu Literis Testimoni:alibus promoto Doctori dandis

Quia is, qui Doctoris nomen et Insignia falsò usurpat pœnâ arbitrariâ, qui verò ad Actus Doctorales se ingerit, pœnâ =

falsi secundùm Bennium part. 2. Cap. 52. et Ricc. Decis. Curiæ Archiep. Metrop. part. 3. decis 330. puniendus est; ac suum Doctoratum per Diploma authenticum, vel alias legitimas probationes jux. Mascard. Concl. 527. à Besol. in Dissert. Cap. 10. ibi: Probandus citatum deducere tenetur: ideo quicunq; ad gradum Doctoratûs in Utroq; Jure, in Facultate Nostra Juridica promotus fuerit, ne à quopiam vexatoriè impetatur, promotionis suæ publicum Documentum seu Diploma authenticum et in forma probanti cum Sigillo Facultatis et subscriptione Decani pro tempore existentis ac Promotoris si distinctus à Decano fuerit, habere debet, illudq; ipsi,

Decanus (nisi causa legitima subsit) sine omni tergiversatione extradere tenetur sub forma sequenti amplissima.

FORMA DIPLOMATIS

M. NN. Utriusq Iuris Doctor et Professor etc: Facultatis Iuridicæ in Universitate Cracoviensi Studij Generalis Decanus et in Actu infra descripto Promotor

Universis et singulis præsens publicum Doctoratûs Diploma visuris, lecturis vel audituris salutem in Eo, qui est omnium Nostrum salus. Fæcundissima bonarum artium Parens, studiorum omnigenæq eruditionis indulgentissima altrix, orbis Poloni Stella Polaris, ac totius Septemtrionis Luminare Majus alma Universitas